

DISSERTATIO THEOLOGICA,  
DE  
SANCTIONE FOEDERIS  
DEI CUM ABRAHAMO  
SYMBOLICA,

*ad loc. Gen. XV. 8--18.*  
*ad S. Cœnam invitatoria,*  
*Quam,*

Mediante Fœderis Angelo,

PRÆSIDE

Rectore Magnifico,

GODEFRIDO JÜNGST,

S.S. Theol. Do&t. Ejusd. P. Prof. Ord. nec non  
Mysteriorum Evangelii ad Aedem D. Ans-  
gar. Dispensatore,

Examina Eruditorum publico exponet

AUCTOR,

JOHANNES SIMON HOFFMANNUS,  
Herborna-Nassovius.

*ad d. Iovis, qui est XIV. Kalend. Januar. cccc XII.*  
*H. L. Q. S.*

---

B R E M Æ,

Litteris HERMANNI & BERTHOLDI BRAUERI, Illustris  
Gymnassi Typogr.

Coll. diss. A  
185, 11

#. #. #.

SLUB  
Sächsische Landesbibliothek –  
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

# VIRIS

*Nobilissimis, Consultissimis, plurimum Reverendis,  
Clarissimis, Dodissimis.*

**DN. CONRADO VAN BERCHEM**, U. J. D. Excel-  
lentissimo, Ordinis in Ill. Rep. Brem. Senatorii Viro me-  
ritis longe Gravissimo, Patrono suo summopere co-  
lendo.

**DN. NICOLAO MINDEMANNO**, J.U. D. Consumma-  
tissimo, Inclutae Bremensium Reip. Vice Syndico meri-  
tissimo, Fautori & Hospiti suo Munificentissimo.

**DN. GODEFRIDO JÜNGST**, S. S. Theol. Doctori,  
ejusdemque in Ill. Chaucorum Athenaeo Professori Ce-  
leberrimo, Mysteriorum item Divinorum ad D. Ansgar,  
Dispensatori fidelissimo, Rectori h. t. Magnifico, Prae-  
fidi, Praeceptoris, Fautori & Agnato suo summe ve-  
nerando.

**DN. LUDOVICO GEORGIO TREVIRANO**, Elo-  
quiorum Evangelii in Ecclesia Bremensi Neapolitana  
Praeconi disertissimo, Agnato & Evergetae suo nullo  
non honore aeviternum prosequendo.

**DN. GEORGIO LUDOVICO WISSENBACHIO**,  
Verbi Divini in Ecclesia, quae Ober-Naysii in Princi-  
patu Deciensi colligitur, Ministro facundissimo, Vene-  
rando Seni, Avunculo suo omni pietatis cultu obser-  
vando.

*Hoc studiorum suorum specimen in ul-  
tiorem sui commendationem submissa  
mente manuque sacrum dicatumque  
esse vult*

**AUCTOR.**





# DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O DE SANCTI<sup>ON</sup>E FOEDERIS DEI CUM ABRAHAMO SYMBOLICA.

## §. I.

**A**nus nunc quasi E. L. hoc ipso, quo has pagellas vides consignatas, die exactus est, ex quo editam a Celeberrimo Domino Praefide de Cibatione Eliae in deserto Dissertationem Respondens (ut loqui solemus) defendendam suscepi. Verum quum conatus hic non videretur sufficere ad exhibendum, quibus mihi meorum studiorum reddenda ratio, propriorum profectuum qualiumcumque specimen; illud mihi datum esse credidi negotii, ut ipsemet operi manum admoverem, & nobile aliquod, in quo, quid propriae, quantumlibet exiguae, valeant vires, pateret, argumentum mihi proponerem elaborandum. Huic itaque fini praesens haec, quae nunc prae manibus est, materia tamto magis mihi visa fuit adcommoda, quanto minus praeparandis simul, qui Illustris hujus Gymnasi circa haec tempora mos est, ad S. Synaxin Dnn. Commilitonum animis erat inepta. In illa autem pertractanda ita, annuente Dei Spiritu, me geram, eumque servabo ordinem, ut primum ipsam historiae litteram utcumque explanem, *tum vero* latitantem in hoc veluti cortice mysterii nucleum pro ingenii modulo evolvam.

§. II. Exhibit nobis hoc Capite sacer Historiographus Moses solemnia, quibus gratio Dei cum Abrahamo initio federi sua adcessit κυρωτικ. Haec ita refert esse peracta, ut prius, quam ad

A

ad ipsum *sandionis* ritum adcederetur, quaedam ipsam pacti substantiam facientia (articulos dixerint Politici praeliminaires) fuerint praedecisa. Deus nempe T. O. M. de novo cum federis plane impari socio conreditur & quarta nunc vice suo Familiari adparet, taliaque cum ipso agit, quae omnem federis cum ipso feriendi naturam ac essentiam, nobis exponunt, quaeque adeo cuncta, de quibus hactenus legeramus, si non penitus involvant, tamen tacite respiciunt. Quemadmodum enim ab una parte Deus omnem ex Abrahami pectore metum exterminans nil nisi sinceram ab ipso fidem stipulatur, eique factas jam ante de semine dandaque huic semini terra promissiones denuo addicit; sic ab altera parte Abrahamus remoto, quem sibi positum putabat, ~~απεκνισθεις~~ obice, Divinis verbis simplicissima fide adstipulatur; & cum hoc ad justitiam illi imputaretur, nato sibi exinde ~~λικαωματη~~ nunc utitur, & fidei ulteriore confirmationem restipulatur. Accedit enim singulari cum παρεγγονα ad gratiae thronum, signumque a Domino poscit, ex quo se terram certo hereditatum cognoscere posset. Verum haec ipsa sunt, quae diligentius nunc a nobis expendi merentur. Quod antequam moliamur, omnis a nobis pervolvendae materiae brevem quamdam ichnographiam praemittere non erit inutile.

§. III. Universa videlicet haec Historia tribus absolvitur generalioribus partibus; Occurrit enim

I. Totius hujus negotii federalis occasio, Abrahae petitio, vs. 8.

II. Ejusdem confirmatio; quae constat

A. Symbolorum propositione; sunt autem illa pro duplii partium contrahentium numero duplia:

**N.** alia enim adduxit Abramus, vs. 9. 10. II. ubi

**a.** objectum, sive ipsa symbola, quae enumerantur, vs. 9.

**B.** Actio circa Objectum, nimirum

**a.** Dei mandatum: Adfer mihi,

**b.** Abrahae executio, qui animalia

**i.** adtulit,

**2.** divisit & partes sibi invicem opposuit, vs. 10.

**3.** singulari cura inbiantes cadaveribus aves abegit, vs. II.

**D.** alia

- D.** alia immisso legitur ipse *Deus*, ubi idemtidem
- ipsa symbola*, nempe
    - immissus Patriarchae cum *ingente terrore spissaque caligine conjunctus sopor*, vs. 12.
    - monstratus illi *clibanus fumans*, & *perambulans animarium segmenta ignea lampas*, vs. 17.
  - designatum accuratissime utriusque *temporis* momentum;  
*prius factum*, cum *sol ad occasum vergeret*; *posteriorius*, cum  
*jam actu occidisset*.
- B.** Eorumdem per *Divinum oraculum expositione*, quae rursus bimembbris est, quatenus repreäsentat *Fata Abrahamidarum*.
- Tristia*, quando indicat Eorum
    - exilium & in aliena terra peregrinationem*.
    - servitium*, quod pristinis istius terrae incolis esset  
*praestandum*.
    - ad afflictionem ab iisdem subeundam*, quibus additur
    - malorum illorum quadringentis annis circumscripta duratio*, vs. 13.
  - Laeta*, cum praedicit illorum
    - ex ista miseria liberationem*, *conjunctionem cum terribili Dei in hostes judicio tanquam notabili temporis*, quo haec essent expectanda, *indicio* vs. 14.
    - ad occupandam terram promissam redditum*; *definito itidem certo temporis termino*, *adnexaque justa hujus termini ratione*, vs. 16. *Quibus denique Interjectam videmus mortis ipsius Patriarchae revelationem*, vers. 15.
- III.** *Finis*, quo tota haec actio erat directa, declaratio, init. vs. 18. *Hoc die pepigit Jehova cum Abrahamo fedus*.
- §. IV.** Occasionem igitur, ut rem ipsam adgrediamur, toti huic actui dedit Abrahæ, quam vs. 8. in Dei sinum exonerat, oratio, cum ita loquitur: *Domine Jehova, in quo cognoscam, quod possidebo eam?* Occurrit hic in ipso statim limine non exigua nobis solvenda difficultas. Cum enim haec verba arguere videantur

tur animum de Divina promissione dubitantem ; mire se torquent Interpretes, quomodo hæc cum amplio illo, quod vñ. 6. de fide Patriarchæ perhibebatur, testimonio possint conciliari. In eo equidem consentiunt omnes, ab *απίστας* crimine Abrahamum praedicandum esse immunem , verum quo id commode fieri modo possit , quisque hinc ejus verbis dari sensus debeat , variae sunt variorum sententiae. Ex veteribus Theodoretus (a) , quo cum consentiunt Chrysostomus & Petrus Martyr , hanc orationem non *απίστους*, *αλλα μαθει πυθούντας τὸν τρόπον τῆς κληρονομίας* dicit , nec alia mente prolatam putat , nisi ut instrueretur de modo, quo Deus hoc vellet efficere, ut posteris suis illam terram donaret. Verum quo minus huic interpretationi calculum adjiciam, sacer textus impedit: nullum enim hactenus vidi locum, ubi particula *τὸν τρόπον* significationem includat, aut per *quomodo* verti possit. Veritati paullo proprius accedunt Raschi & , qui cum eo facit, Celeb. Coccejus, qui ita rem concipiunt, ac si Abrahamus non tam sibi quam posteris suis signum expetivisset , ut illi haberent , cui innixi promissionem hanc eo firmiori fide amplecterentur, quod & Deum postea dedisse in sequentibus textus doceat. Verum & his , quia Abrahamum penitus excludunt, adsentiri vetant iterum ipsa Patriarchæ precantis verba , quando diserte dicit, *in quo COGNOSCAM EGO?*

¶. V. Utrique ergo praferenda videtur Cl. Heideggeri  
 (b) Paraphrasis, qua, quia de ipso Abrahamo (nos vero nec posteros hic excludemus) rem exponit, textus simplicitati sua constat integritas. Haud equidem in praesentia de Divinae promissionis veritate dubitabat hic Noster cetera satis constans fidei propugnator ; At tamen, quia humani nihil a se alienum putabat & suae imbecillitatis sibi satis conscius erat , e re sua futurum rebatur, ut visibile aliquod ipsi signum concederetur, quo tum Dei promissio clarius inlustraretur , tum sua in eam fides contra obvienturas forsitan incredulae carnis tentationes mage mageque corroboraretur. Hinc itaque Dominum supplex rogat, ut quod inceperat in ipso bonum opus porro perficeret, & quo fidei suae, non dicam scintilla sed flamma posset sustentari, pabulum suppedita-

(a) Quaest, LXIV. in Gen.

(b) Hist. patr.

ditaret. Praeclara sunt in hanc rem, & digna quæ huc exscri-  
bantur, Magni Calvini(a) verba: *Abramus, inquit, quo certius erat  
persuasus Deum esse veracem & ejus verbo magis additus, eo familiarius  
curas suas in ejus sinum exonerat: Variae ejus animum tenebant difficulta-  
tes, quas adaugebat, quod jam, postquam magna vitae parte suspensum  
tenuit Deus, nunc senio consecutum & nil nisi mortem & sepulcrum ante ocu-  
los habentem de integro terrae Dominum fore pronuntiat. Neque tamen pro-  
pter difficultatem respuit, quod videri poterat incredibile, sed in medium  
profert, qua anxietate intus prematur.* Atque hoc fidei potius testimonium  
est, quam incredulitatis signum, quod Deum interrogat. Pii, quæ sentiunt  
in carne sua impedimenta submovent, ne viam obstruant verbo Dei, & vi-  
tiis quorum sibi consciit sunt, remedium quaerunt. Tu, C. L. confer, si  
placet, exempla huic nostro plane adfinia Gideonis, (b) Hiskiae,  
(c) beataeque Virginis Mariae, (d)

§. VI. Votum hoc uti non erat injustum, ita eidem  
lubens adnuit Dominus, cum Abraham adportare jubet  
: עַגְלָה מִשְׁלֵשׁ וְעַזְזֶל מִשְׁלֵשׁ וְעַזְזֶל Deseritur hic  
merito a plerisque Interpretibus Onkelos, quod verba haec red-  
dit: *vitulas TRES, & capras TRES, & arietes TRES, & turturum  
& filium columbae.* Praestare enim huic versioni alteram illam  
Græcorum aliorumque, qui δαμαλιν τελείζουσαν, juvencam triennem,  
& capram trimam, & arietem annorum trium vertunt, ex rei na-  
tura & usitato alias Hebraeis loquendi more satis evinci vi-  
detur. In genere circa haec animalia notamus, singulari  
Dei providentia factum esse, quod eadem hic adducerentur,  
quorum, postmodum quoque sub lege magnus in sacrificiis  
usus erat, quaeque tum purorum nomine gaudebant. Cur  
vero trima requisiverit Divina sapientia, non est adeo cla-  
rum. De eo saltim non videtur dubitandum, primum o-  
mnis, quaecumque hic fuerit, δηλωσεως fundamentum in ple-  
niore (f) hujus aetatis robore esse querendum. Verum

## A 3

an

- (a) ad h. l. (b) Jud. VI. 17. (c) II. Reg. XX. 8. (d) Luc. I. 34. adde-  
sis etiam exemplum contrarium Achasi Es. VII. 10. sq. & alia, quae  
ad h. l. notarent Pareus & Rivetus.  
(f) Majori hanc aetatem robore pollere de *vitula*: probat Magnus Bo-  
chartus, cum ex locis Es. XV. 5. Jer. XLIX. 34. tum ex illo Plinii  
lib.

an praeter hoc ipsum , ut nonnullis videtur, Deus nihil aliud intenderit, infra pluribus erit expendendum.

§. VII. Quidquid sit, neque casu, neque Abrahae etiam arbitrio haec talia fuisse adducta, indicat Moses, cum ea adferri ipsum Deum jussisse testatur: *קָרְבָּן יְהוָה sumens offer mibi.* Ita cum Chaldæis & Junio ac Tremellio phrasin hanc interpretari nullus dubito ; licet enim expressa hic sacrificii non fiat mentio , tamen & hunc quoque fuisse animalium adducendorum finem, non tantum ex usitata postmodum inter federa pangenda sacrificandi (a) consuetudine , sed ex ipsa quoque phraseos emphasi facile licet conligere ; praeterquam enim quod notanter dicitur , *adfer non tibi vel tuo usui sed Mihi* , ipsum vocabulum *לִקְרָב* alibi quoque in de sacrificiis materia (b) expresse adhibetur. In hunc itaque finem Deus humanae omnis *εθελοθησας* hostis ipsemet haec animalia adferri poscit, ut adlata sibi quoque offerrentur. Neque tamen in hunc solum. Sed cum rei finis optime ex ejus usu possit dijudicari, palmarium scopum illum fuisse edocuit eventus, ut essent *cum* sanciendi solenniter federis instrumenta , *tum* commoda, quibus futura Patriarchalis prosapiae fata possent adumbrari , symbola. Sic ipsemet ille Jehova , qui primus gratiae communionem peccatori obtulerat, primus quoque, quibus fedus hoc ratum fieret, solemnia nuncupat.

§. VIII. At vero quid ad haec Abrahamus? Fidelis Dei servus praesto est, ut Domini sui jussa exsequatur. *Adfert* pri-mum de grege, Deoque haec munera *offert*. Dein porro, exceptis solum (c) *avibus*, per medium ea dividit; atque ita jam paret, qui postea sub lege colebatur , sacrificali ritui, & animantia , quae obtu-

slib. VIII. c. 48. *Domitura boum in trimatu, postea sera, ante praematura.*  
Quod ad *Arietem* vero conferunt Viri Docti locum , qui est apud Lucianum in Deorum Dialogo, ubi Ganymedes a Jove raptus & dimitti petens pro λυτρῷ suo promittit se arietem Jovi immolatum τριημένη τοι μεγαν, ος ηγεται προς την γομην, triennem magnum , qui gregi in pascua praeit. *Turturem* pariter in matura, columbam contra in tencra aetate præstare, neino est , qui ignoret.

- (a) confer Exod. XXIV. (b) vide Gen. XXVII. 9. Exod. XII. 12. XXV. 2.  
& alia apud Gatakerum in advers. misc. posth. cap. 31.
- (c) eadem quoque postea in cultu Mosaico ne dividerentur, singulari legi caustum legimus Levit. I. 17.

obtulerat, ἐδοκιμα, ut essent πτερχηλίσμενα (a) in conspectu transiturae per segmenta flammae, coram oculis ejus, παρόν αὐτῷ οἶος, apud quem sibi reddenda fuisset ratio, si non omnibus federis legibus ex æquo stetisset. Denique divisa accurate victima, justo quoque ordine partes ejus disponit, sibique invicem opponit; dedit enim, ut ad literam Hebraicum vertam, virum dimidiæ partis ejus ad occursum amici ejus, vel ut egregie Graeci, εἴηνεν αὐτανπαρεστῶντα αἰνῆλοις, posuitque, ut verbo sensum dicam, partes altrius secus sibi respondentes, relieto intermedio ad transundum spatio.

§. IX. Si jam, quae apparatus hujus ratio fuerit, anquiramus, liquebit, non alio hunc animalia dissecandi ritum fuisse comparatum, quam ut illo sanciretur iustum Deum inter & Abrahamum fedus; haud dubie enim eo significabatur, pari modo vindice Deo dissecandum fore, qui pactis federis legibus bona fide non satis, foedifragii vero se reum, fecisset. Hoc modo ritum hunc esse explicandum, non solum, ex consueto inter alias Gentes federa feriendi more, sed ex ipsis quoque populi sancti monumentis indubitato a Commentatoribus colligitur. In Sacris quidem insignis est locus, qui extat apud Jeremiam (b) cum in haec Deus Zelotes contra populum fedifragum indignabundus erumpit verba: *Tradam homines illos, qui transgressi sunt fedus meum, qui non præstiterunt verba federis, quod pepigerant coram me, quum transverunt inter dimidiatas partes ejus vituli, quem dissecuerant in duo . . . tradam, inquam, eos in manum inimicorum ipsorum, & erit cadaver ipsorum cibo volucribus cælorum & bestiis terræ.* Neque ab his abludit, quod legitur in historia Samuelis, (c) factum Saulis, cum in furorem actus in frusta divisi par boum, eaque in omnes Israelis terminos dispersit, hac adjecta dirarum imprecatione: *quisquis non exierit & secutus fuerit Saulem in bello Ducem, SIC FIET armento ejus.* Sed, & ad alios populos eundem federa sanciendi ritum transivisse, auctores sunt, qui eorum mores describunt, historici. Sic apud

Chal-

(a) ad consuetum dissecandi sacrificia morem his vocabulis adludere, qui illis ad Timotheum & Hebreos utitur, Paullum, ab Eruditis Interpretibus est observatum.

(b) Jer. XXXIV. 18, 19, 20. (c) I. Sam. XI. 7.

Chaldaeos, teste Diodoro, tutius habebatur *jusjurandum*, cum illud per animalium sectionem sanciebant, eandem praevaricatoribus imprecantes. Graecorum quoque id moris fuisse auctor est Dictys Cretensis, cum libro primo unanimem Graecorum Principum conspirationem ad bellum Trojanum suscipiendum recensens, *jusjurandum* interpositum hoc modo tradit: *Calchas filius Nestoris praescius futurorum, porcam majorem in medium offerri jubet, quam in duas partes exsectam orienti occidentique dividit, atque ita singulos nudatis gladiis per medium ire jubet.* De Romanis vero notari meretur locus iste Livianus, (a) ubi descripta federis Albanos inter & Romanos formula, haec a Feciali recitata fuisse verba refert: *Audi Jupiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus, ut illa palam prima postrema ex illis tabulis cerave recitata sunt, sine dolo malo: utique ea hic bodie recte intellecta sunt; illis legibus populus Romanus prior non deficiet. Si prior defecerit publico consilio, dolo malo, tu illo die Jupiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum bodie feriam, tamioque magis ferito, quanto magis potes pollesque. Id vero ubi dixisset, porcum saxo filice percussisse. Et Classicus fere locus est Virgilii, (b) Romuli Tatiique Sabinorum Regis fedus hoc carmine describentis:*

*Post iudicium inter se posito certamine Reges,  
Armati Jovis ante aras paterasque tenentes  
Stabant & caesa jungabant federa porca.*

Quibus addi denique potest, quod de Molossis, *Albanis* postea di-  
ctis, testatur Zenobius: Οἱ Μολοττοὶ εὐ τοῖς ορκωμοσίοις κατακοπτώντες  
εἰς μικρές τους βόους τας συνθήκας εποιούντο. Atque hinc quoque natæ  
sunt, quibus federa ineundi actionem exprimebant, phrases He-  
braeorum בְּרִית בְּבָרוּךְ transire in fedus (d) & Graeco-  
rum ορκία πυρειν (c) juramenta secare, nec non Latinorum prover-  
biūm: *Inter sacrum & saxum stare.* (e)

## §. X.

- (a) Lib. I. C. XXIV. (b) VIII. Aeneid. (c) Deut. XXIX, 12.  
(d) Sic Homerus Iliad. B. v. 124.

————— ορκία πυρειν πυρούτες.

- (e) Non possum a me impetrare quin subjiciam adhuc, quod observavit  
ex Luciano Cl. Heideggerus: apud Scybas, si quis ab alio potentiore  
laesus esset, eum bovis immolati tergori insidentem, carnes frustulatim con-  
cisas & igne tostas praetereruntibus offerre: e quibus quotquot comedunt, &  
bovis

§. X. His ita confectis, acquiescit nunc Abrahamus, avideque, quid de cadaveribus esset futurum, praestolatur. Verum antequam id experiretur, ecce! *rapaces super victimam descendunt aves, quibus, afflatu, sibilo, vociferatione vel manuum plausu, abigen- dis* (a) *delassatas priori labore vires denuo impendere Noster te- netur Sacerdos, com. ii.* Est hoc rapaci volucrum generi pro- prium, quod carnium fibris & extis admodum delectentur; hinc pluries in profanis quoque, insidiis appetivisse macstatos tauros & caesas oves, ab eisque summo etiam clamore vix divelli potuisse leguntur. (b) Interim tamen cum Patriarcha eas abegit, ut videtur, victimis, quae caedebantur, adversas existimavit. Atque hinc fortassis ortum dicit, (c) quod postea Gentiles avium

*bovis tergus dextro pede calcant, se illi pro viribus adfuturos pollicentur.* Unde apud eos tergus calcasse erat idem, quod jurasse. Ex parte quoque cum nostro loco convenit, quae apud Romanos obtinebat, exercitum lustrandi consuetudo, cuius solenne hoc fuisse lib. XL. cap. VI. tradit Livius: *caput mediae canis praecisae, & prior pars ad dextram cum extis, posterior ad laevam viae ponitur: inter hanc divisam hostiam copiae armatae traducuntur.* Quod idem Boeotis, conterraneis suis, in more positum fuisse testatur in Quaest. Rom. Plutarchus: *Βοιωτοις δε δρυμοσα καθημενοι εις κυνος διχοτομηθεντος των μερων οιενται λαζειν.* Apud Boeotos est sacrificium, quo cane in duas partes discisso, per earum medium transibant. Plura in hunc ritum vide apud Gatakerum lib. cit. cap. 43., Grotium item, Gerhardum, Stuckium, alios.

(a) Haec interpretatio p. d. præstat Alexandrinae, quae pro **נשׁב וַיָּשֶׁב** a legit **וַיָּשֶׁב** a hincque reddit, **καὶ συνεκάθισε αὐτοῖς.** Ceterum cum ea confert Clericus consuetudinem veterum, qua victimis caesis earumque pellibus incubantes somnia captare solebant; eoque refert locum Pausaniae in Atticis, de Amphiarau, Argivum vatem, consulentibus: *Κένον θυσίαν αυτῷ καὶ τὸ διέμα υποσχεσμένος καθευδόντοις αναπει- νατες δηλωσι ονειράτος, ariete ei immolato, in substrata ejus pelle dormiunt, somnii monitum expectantes.*

(b) Ovidius metam.

*Ut volucris visis rapidissima milvius extis  
Dum timet & densi circumstant sacra ministri  
Flebitur in gyrum, nec longius audet abire,  
Spemque suam motis avidus circumvolat alis.*

(c) Hoc saltem bene convenit cum ea, quae pleraque Gentilium sacra à sacris Judacorum derivanda esse sustinet, hypothesi; quam inter alios

B

doctis

avium volatum sive dextrum, sive sinistrum ad boni vel mali  
praesagia plurimum valere crediderunt; apud quos hinc quoque  
moris erat, ut immolantes sacrificuli sedulo operam darent,

*Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum,  
Hostilis facies occurrat & omnia turbet.*

§. XI. Arcendarum avium curae dum animum intentum  
habet Noster, arcto repente somno devinctus, ingenti terrore  
obruitur densaque caligiae circumpositum se animadvertisit. com.  
12. Non est hic, quod multis, ex indesinente volucrum obser-  
vatione, aut ex antlatis mactationis laboribus fatigatum, indeque  
obdormientem, Abrahamum excusemus; quasi vero naturalis-  
fuisse, qui ei supervenit somnus. Symbolicum enim & ipsum  
atque profeticum fuisse, *tum*, quibuscum conjunctus erat, cir-  
cumstantiae, *tum*, qua insinuitur, vox Hebraea תְּרִיכָה (a) (ea-  
dem illa, qua immissus Divinitus Adamo sopor describitur) in-  
dicant. Utut sit, vacabat eo durante externorum sensuum ope-  
ratio, & mens solum in imaginum, quae imaginationi exhibe-  
bantur, contemplatione tota haerebat defixa. Quod, praeser-  
tim cum caliginosa nox accederet, non poterat non cum gra-  
vissimo terrore esse conjunctum: Utii & aliis id obvenisse Pro-  
phetis plus semel legimus. (b) Atque sic Abrahamus paullatim  
ad sanctam secuturi mox Divini Oraculi perceptionem praepa-  
rabatur.

§. XII. Antequam tamen eo perveniretur, somno prius  
visio additur. Videt enim in hoc sopore *clibanum fumantem*, i-  
gneamque per dissecta animalia transeuntem lampada, vs. 17. Ne mira-  
re, qui haec legis, me, dum praesens hoc cum commate duode-  
cimo conjungo, hysterologiae facere locum: hoc non tantum  
*tenebrarum*, in quibus desiverat illic, nunc repetita mentio, sed  
& ipsa cum primis rei natura postulat; quia, nisi hoc admittas,  
Deus in verbo talia, quae Abrahamus nondum viderat, expli-  
care

doctis aliquot de *κυκλαῖς* Gentilium Dissertationibus vindicare coe-  
pit, quem studiorum meorum, ut primum fundatorem ita sedulum  
quoque promotorem suo merito veneror, Clarissimus in Lyceo pa-  
trio Professor Theologus J. H. Schrammius.

(a) LXX. per *εγγενέα* vertunt.

(b) confer Job. IV. 12. 13, Dan. X. 8. 9, Gen. XXIX. 17.

care signa dicendus erit: id, quod pluribus infra patebit. **Ad** ipsam vero *transeundi actionem* quod attinet, eam ad ratificationem federis pertinuisse, ex supra dictis jam liquet. Unde, quia mos pangendi federa partis utriusque confirmationem postulabat, ipsum quoque Abrahamum per legimenta ista itidem transivisse, si non certum, saltem maxime mihi videtur probabile. Utique quoque in eo nihil hactenus deprehendere possum absurdum, quod quidam ad parentem hic flammam animalium partes consumisse conjiciunt. Nec absonum, Molechi fornacula huic *clibano* ortum debere.

§. XIII. Magis interim exploratum habemus, quod historiographus curate definit, temporis, quo haec contigere, momentum. Quemadmodum enim priora, quae vs. 12. continentur, sole inclinante & *ad occasum vergente*, accidisse narrantur; ita posteriora haec, quae habet comma 17., evenere, cum sol jam *actu occubuisse*. Illud in Textu per **וַיְהִי הַשָּׁמֶשׁ לְבֹא עֵגֶל** fuit sol *ad eundum*, hoc per **וַיְהִי הַשָּׁמֶשׁ בָּאָה עֵגֶל** fuit, sol iverat, Hebraico idiomate (a) egregie exprimitur. In quibus ceteroqui nulla quoad rem ipsam relinquitur difficultas. Unde & ego, quod circa haec tempora notem, non habeo, nisi id unum, quod fere coincidunt cum illa diei parte, qua postea consumendus ab Abrahami prosapia agnus paschalis (b) erat. Sic igitur, in quo totam inde a superiori vespera diem transegerat, suave cum Deo commercium tamdiu producit Patriarcha, donec die rursus in vesperam flexa, quid visa hactenus externa symbola sibi vellent, per superacedens Dei verbum pluribus edoceretur.

§. XIV. Et certe nisi hoc factum esset, ac nisi Deus ipse Divinator & Οὐρανοχειρίτης accessisset, Oedipo hic conjectore opus fuisset. Ast hic ipse nunc Abrahamum adloquitur, & verbis, quas monstraverat, imagines exponit, vs. 13 — 16. Audit heic oraculum Noster, luctuosum quidem & inexpectatum, de semi-nis nempe afflictionibus; sed tamen promissione de earum salu-

B 2

tari

- (a) Satis quaque hanc differentiam observarunt Graeci, cum prius πρὸς δὲ ἡλιου δυσμας, posterius επειδεις δε ο ηλιος εγενετο προς δυσμας reddidere; neglexit vero Lutherus.
- (b) Locum, ubi id habetur, Exod. XIII- 6. Chaldaeus apposite ad rem nostram reddit; *inter duos soles, declinantem & occidentem,*

tari eventu edulcatum. Atque in his eo Deus vates procedit ordine, ut dulcibus amara, tristia laetis praemittat. יְהוָה אֶת־הַדָּעַת ait primo, *sciendo scias* certoque credas, (opposite ad superius illud בְּמַה אָרָעַ in quo sciam) *peregrinum fore semen tuum in terra non sua*. Quamtae homini peregrino ab indigenis devoranda molestiae, quamta subeunda incommoda sint, hic exsequi velle, plus justo longum foret. Quae vero & quamtacumque ea fuerint, omnia Patriarchae posteris erant eventura, cum in Canaanis, (a) tum in Aegypti terra. Et in posteriore quidem, ut porro habet oraculum, citra peregrinationis discrimina servituti quoque erant mancipandi. Praeterquam quod hoc esse soleat indigenarum vitium, ut nescio quo jure in advenas dominium sibi vendicent, Aegyptiorum praesertim eo colore apud Historicos (b) depictedos video mores, ut satis iniquos fuisse extraneorum hospites patescat. Idem & hic de illis perhibetur testimonium, cum servitutis molestiae afflictionis tyrannidem adjuncturi praedicuntur; quae etiam, quantum in Dei populum saevierit, tragicē sat in sua Exodi (c) historia describit Moses.

§. XV. Nec denique ingenti taedio carebat *quadrūgentorum annorum*, quibus haec erant perferenda, prolixitas. Cum Israetae non ultra CCXV annos in Aegypto fuerint commorati, e quibus subtrahendi adhuc anni LXXI, quibus vivente Josefo Jautius in Gosenis pinguedine pascebantur, liquido constat, ad παροικιαν in aliena terra tantum hos annos esse referendos. Id, quod & Masorethae satis curate observarunt, cum per majorem athnachi pausam haec verba a prioribus amputarunt: indicantes ita, vel plane non, vel indirecte saltem cum servitii & afflictionis vocabulis haec esse conjungenda. Hos autem peregrinationis

- (a) Haec ipsa peregrinationis terra non semel in Patriarcharum historia appellatur Gen. XVII. 8. XXIX. 4. XXXVI. 7. confer Exod. II. 22. Ceteras egregie de hi differentem, videre non poenitebit, Musculum, ad h.l.
- (b) Sic ventosam & insolentem nationem vocat Plinius, Lucanus gentem non fidam; fallacem vero semperque alia cogitantem alia simulantem, in l. de bello Alexandrino-Hirtius.
- (c) Vide, quae extant Exod. I. II. sq. II. 23. III. 7. V. 6--14. VI. 4. & Act. VII. 19.

nationis annos non aliunde quam a natalibus Isaaci, in quo demum censendum erat Abrahams semen, (a) esse repetendos, hodie fere communis est accuratissimorum Chronologorum sententia. Nam & haec demum, si his addas, qui inde ab egressu ex Ure effluxerunt, annos XXX, commodissima Pauli ad Galatas (b) & Mosis in Exodo (c) verba cum hoc loco conciliandi via est. Et cum in loco posteriore dicitur, quod Israelitae per CCCCXXX annos commorati fuerint in Aegypto, illud non aliter, quam de peregrinationis patriarchalis termino, qui cum his annis in peregrinatione Aegyptiaca suum complementum consequebatur, est intelligendum; eodem plane modo, quo & hic dicere possumus, Israelitas tamdiu ab Aegyptiis fore adfligendos, donec CCCC annorum promissionis (d) numerus esset completus. Nisi & illuc peregrinationem Abrahams in Aegyptum, (e) proximo ut videtur post exitum ex Charane anno suscepit; huc vero Isaaci a fratre Ismaele, materna stirpe *Aegyptio*, perpessam vexationem (f) velis referre. (g)

§. XVI. Quamta vero cumque fuerit subeundarum in aliena terra molestiarum gravitas, quantuscunque annorum inter illas consumendorum numerus, felicem tamen cuncta aliquando habitura finem, Oraculum promittit. Quatuor enim hisce seculis præterlapsis miseriae isthac sede tandem erant egressi; & hi quidem non vacui, sed μετα αποκλινες πλην, multis facultatibus onusti, vñ. 14. Excitaturus erat Jehova inter medias aerumnas virtutum λεγων, qui potenti Dei manu suffultus multis que prodigiis clarus adflictum Abrahams semen educeret, inque libertatem postliminio adsereret. Quod dum fieret, eo simul flexurus erat populi adflictoris animum, ut splendida prius supellectile, tamquam justa servitii mercede, instructum ditatumque populum Dei lubentes dimitterent. Ac denique, ne interim Hi,

quam

(a) Gen. XXI. 11. (b) Gal. III. 17. (c) Exod. XII. 40.

(d) Eo p. d. adiudit Stephanus περιπλαγης, Act. VII. 17. cum hanc adflitionem initium cepisse refert, καθως ημίζεν ο χρονος της επαγγελμας, ης αμοιρα ο Θεος των Αβρααμ.

(e) Gen. XII. 10. (f) Gen. XXI. 9. & Gal. IV. 29.

(g) Addat his, cui lubet, qui hoc argumentum egregie est executus, vñ d. Honert waaragtige Wegen V, Boek, III. Hoofd.

quam exercuerant in Dei populum, petulantiam ferrent impune, hoc futurae liberationi temporis signum ponit, quod eam proxime praecessurum sit severum in terrae hujus incolas judicium: *E* gentem illam, cui servient illi, judicabo. Prosterneret Deus ita succincte, sed solide ad haec παρεργή Cel. Vitrina (a) tremendis suis judiciis Draconem marinum, dominantem pro arbitrio ludentemque apud septem alveos divitis Nili, paratum ad deglutiendum semen Abrahaim, in cuius manibus erant tabulae promissorum benedictionis & vitae. Vindicaret innocentiam populi tamdiu oppressi, vexatique, faceretque testatum, non laedi impune, quos ipse amat. His addere solum illud liceat, notatu satis jucundum, quod idem utrobius liberationis Israellitarum medium fuerit Dei in Aegyptios judicium, *E*, cum olim Aegyptum ingrederentur, *E*, cum nunc ex eadem exitum (b) pararent.

§. XVII. Sed non modo terra afflictionis exituri, verum etiam in hanc ipsam, in qua tunc commorabatur Patriarcha, Canaanam erant reversuri. Certo certius exspectanda habebant læta, quibus in terram, quam in lumbis parentum olim deseruerant, essent reducendi, promissamque sibi hereditatem occupaturi, tempora: ita tamen, ut non nisi generatio demum quarta hanc sibi spem promittere posset. vsl. 16. Generationis vocabulum hic non de certorum annorum, centuriae vel seculi intervallo, sed potius de personarum generatarum numero esse exponendam, ex eventu satis est perspicuum. Quanquam enim priori illi, quæ generaciones cum seculis coincidere defendit, sententiae aliquantulum favere videatur, quod apud autores profanos (c) seculum *etatis* nomine legatur insignitum; eo magis tamen eidem adversatur, quod vox Hebraea זור vix usquam in sacris hac significatione occur-

(a) In elegantissimo non ita pridem edito Doctrinae Profeticae typo part. II. cap. IV. §. 11. quem hoc ipso anno non sine meo quoque fructu D. Commilitonibus Cl. Praeses exposuit.

(b) Conf. Gen. XLV. 6. 7. & reliquorum quoque implementum vide Exod. V - XI. capp. collat. Ps. LXXIIX. 45 - 54.

(c) Vide Cic. lib. I. de Orat. cap. LI. & Curtium lib. VIII. cap. II. Et Ovidius quoque XII. metam. ex persona Nestoris dixit v. 187.

Vixi

Annos bis centum, nunc tertia vivitur AETAS.

currat: ut nunc alios, quos l. cit. Cel. Vitrunga contra hanc interpretationem nequit, nodos silentio praeteream. Intelligentur itaque tutius per generationem hanc quartam pronepotes illorum, qui cum Jacobo Patriarcha Aegyptum sunt ingressi. Quos inter eiusmodi generationem deprehendimus in tribu Juda, ubi *Judas* cum patre Jacobo Aegyptum ingressus genuit *Perezum*, & hic porro ex *Hesrone Calebum*, qui tandem terram promissionis est ingressus. Obvium quoque est exemplum in tribu Levi; ex quo patre *Keathus* in Aegyptum descendit, filium in ea progignens *Amramum*, cuius ex *Aharone* nepos *Eleasar* in Canaanaeam insuper factus est redux. Ut eodem plane modo hic accipiatur vocabulum רְדִים, quo sumit Græcorum γένεα in principio Evangelii sui Matthæus; quae vox alioquin, ubi de annis agitur, ultra triginta tres ut plurimum annos, quatuorve menses (a) haud completebatur.

**s. XVIII.** Ratio, cur tantam Deus huic hereditati occupandæ moram interponeret, haec erat, quod nondum completa erat *bucusque Amorrhæorum iniquitas*. Non poterat haec terra, incolis satis frequens, colonos recipere novos, nisi prius veteres migrassent. Hos vero non ante Deus volebat excutere, quam usque adeo eorum scelera excrevissent, ut, terram suam iis nefarie conspurcando, semet ipsos, quos illa evomeret, quae scripturæ phrasis est, dignos redderent; *tum* ut haberent, quo redderentur αναπολογηται, resipisciendi tempus, *tum* ut manifestas faceret suas non severioris modo iustitiae, sed & longanimitatis ac patientiae virtutes. Haud me pudet, & secundo exscribere laudatissimi jam modo Vitrinæ verba, cum in hunc modum justas ac sapientes Dei vias (b) pie depraedicat: *Est quaedam mensura tam peccatorum hominum, quam patientiae Divinæ, servatque hunc modum, banc legem in puniendis hominum erroribus summus Rector, ut iustitiam suam aequet longanimitati, severitatem temperet clementia, nec minus consideret, quid hominum mereantur vitia, quam quid patientiae aequitatique suæ in iis ad tempus ferendis conveniat, ut spatium relinqueretur pœnitentiae.* Ceterum, quod peculiariter *Amorrhæorum* Deus meminit,

eius

(a) Tres etenim γενεα apud Graecos & Aegyptios C annos consecisse ex Herodot. & Clem. Alexandrino observavit Clericus ad h. l.

(b) Loc. supra cit.

ejus non una potest reddi ratio. Praeterquam enim quod Abrahamus nunc *Amorrhæi* sigillatim inquilinus (a) erat, hic populus inter Canaanitarum primores censebatur, *cum* propter terrae, respectu advenientium Israelitarum, situm, quia erant inter proximos Israeli impugnandos, *tum* propter singularem, qua ceteris praecellebant, fortitudinem, proceritate, teste profeta, (b) Cedris, robore quercubus, pares. Et quod aliis quoque *improbitate* non fuerint inferiores, inde satis facile est conligere, quod Jehova turpem peccatoris originem exprobratus patrem illi *Amorrhæum* (c) attribuit. Quomodo vero & hujus commatis promissa suo eventu fuerint comprobata, ex historia Mosaica sat is est perspicuum. (d)

§. XIX. Videor mihi videre Patriarcham penitus quidem in Jehovahe verbis acquiescentem, sed cogitantem interim apud „sese, si non exclamantem cum Hiskia: (e) Bonum est verbum, „Domine, quod locutus es, sit modo pax & stabilitas in die „bus meis. De his igitur quædam quoque Deus immiscet, vs. 15. *Tu vero, inquit, abibis ad patres tuos in pace, & sepelieris in canicie bona.* Quæ hactenus perceperat Abrahamus fata, non tam ipsum, quam ejus posteros concernebant. Ipse neque aliorum servitio aut afflictioni erat subjiciendus, neque terram promissam, tamquam proprium peculium, tota vita occupaturus, neque denique, eandem a posteris suis occupari, supervicturus. Longe alias illi quaerendam suoque tempore obtainendam quoque patriam Dominus adsignat. Multis enim ante, quam hoc esset futurum, annis, postquam ad ultimum senium tranquillos ac placidos dies suos produxisset, fatis tandem in pace (cum externa, *tum maxime interna* (f) conscientiae) erat cessurus, atque ad pa-

(a) Gen. XIV. 13. (b) Amos. III. 9. (c) Ezech. XVI. 3.

(d) Confer cum his Ps. LXXIIX. 55. 56. & LXXX. 9. 10. nee non egregium illud, quod suis Moses inserere dignatus est, Poetae cuiusdam carmen ~~enarratio~~ Num. XXI. 27. - 30.

(e) Esa. XXXIX. 8.

(f) Quamvis enim negare nolim, omnia haec ad corporalem felicitatem suam quoque relationem habere, in his tamen solis velle subsistere, nimis mihi frigidum videtur. Promittit, ut verbo cuncta repetam, mortem

ad patres, (a) ad πνευματικούς δικαιους πεπλεωμένους laetus concessus; pulvere sic ad terram, ut fuerat, spiritu vero ad Deum, qui dederat illum, redeuntibus.

§. XX. Atque haec sunt notabilia illa tum Abrahami tum seminis ipsius fata, quae visibili primum emblemate, atque tum superacecedente audibilis verbi oraculo illi ante designata huc usque sumus contemplati. Ex his jam certo certius Abrahamus, convenienter illi, quod vs. 8. exposuerat, desiderio, scire poterat, se (in suo semine scil.) terram a Deo promissam indubitato possessurum. Quamvis enim ipsemet eo non produxerit vitae suae diem, ut promissionem hanc ipso eventu sibi vidisset exhibtam, tantus tamen erat emblematum, per quietem sibi objectorum splendor, tanta verborum quibus ea illustrabantur conjuncta cum gravitate claritas, ut, si modo cum veracitate Dei potentiam vellet conferre, ambigere diutius de promissi certitudine non posset. Certe, sicuti magnæ p. d. potentiae signum erat, quod tam gravem Deus ipsi nec opinato pavorem incusserit, quodque tam alto subito exsommem plane somno sopiverit; sic quoque, quod tanta veluti cura se Deus humano captui accommodabat, quod eum proprio Oris sui vaticinio non dignabatur, quod denique prolixus adeo depingendis ordine ejus fatis inhaerebat, non poterat non certo esse indicio, Deum ipsi noluisse illudere, sed, quod promiserat, certo esse adimpleturum. (b)

§. XXI. Quid? quod non alium haec omnia habuerint finem, quam ut confirmata illis Abrahami fide ratum tandem fieret pangendum Deum inter ac Abrahamum fedus. Hunc enim fuisse perlustratorum a nobis hactenus rituum usum denique testatur Moses, quod *Jehova pepigerit hoc die cum Abrahamo fedus* vs. 18. Quamquam heic demum prima in Abrahami historia *federis cum Deo* mentio fiat, nihil tamen dubitandum, quin illud jam ad mi-

## C nimum

*mortem iustorum*, Es. LVII. 2. Num. XXIII. 10. quod satis indicat Apostolus, cum eum in fide mortuum testatur Heb. XI. 13. Justo tempore id videas adimpletum Gen. XXV. 8.

- (a) Eodem hic modo Abrahami patres vocantur, quo postea ejus filii, qui eandem cum ipso fidem acceperunt; hos nempe sequaces, illos vero praeeuentes habebat.
- (b) Rom. IV, 21.

nimum plus decem (a) abhinc annis Patriarchae cum Deo intercesserit. Quemadmodum enim jam inde a suscepto ex Charane exitu federis hujus formulam, sub promissione aequa ac conditionibus, plus una vice a Deo ei legimus (b) notificatam: sic quoque, Abrahamum jam tum his suis adstipulatum, inde satis patescit, quod Iubens adeo Dei postulatis morem gesserit, & quod hinc fidei ejus Paullus (c) adscribit, e domo sua exiverit, incertus, quo iret. Interea vero, quia neque Deus hactenus exhibendae promissionis arrham dederat, neque Abrahamus praestandae fidei syngrapham scripserat; hoc demum, quo id omne peractum, die fedus hoc percussum dicitur.

§. XXII. Et certe huic fini in se non erant aptiores, quam illi ipsi, quos Deus hic instituerat, ritus. Ne enim nunc repetam, quae supra de *transfundi* per dissecta animalia more dixi, quo perjurium commissurus subeundo mortis fato se obligatum profitebatur; haec ipsa ratio erat, cur pro duplici partium contrahentium numero duplex quoque divisarum partium ordo struebatur, ut nempe transentes per medium denotarentur in se recipere, quod pro parte sua facturi essent, quidquid tunc promittebant. Et, quod justo adeo hae partes ordine sibi invicem opponebantur, quid hoc designabat aliud, quam federe, qui partibus medii erant inclusi, arctissime nunc esse conjungendos & in unum veluti corpus coabituros? Sic itaque Deus Elohim non modo Abrahamum de servanda fide adjurabat, sed ipsemet quoque *ορκω μετεννα* promissa Patriarchae bona obsignabat; jurabat, in nemine majore jurare potis, per se ipsum, per sanctitatem, & dextram suam, se quod semel egressum erat e labiis suis non mutaturum, oppignorabat quasi se ipsum, vitam & perfectiones suas, si fallat; adeo, ut fieri magis non posset, ut falleret Deus, vel falleretur Abrahamus, quam fieri poterat, ut desineret Deus se ipsum amare. Sic omnis Abrahomo praecidebatur suboriundæ forsitan de Jehovae verbis dubitationis ansa, & plenissime fides ejus de occupanda a suo semine terra confirmabatur. Sic denique accipiebant ipsi quoque ejus posteri, quo succumbentem in suis aerumnis animum

(a) Gen. XVI. 3. (b) Cap. XII. 1. 2. 3. & XIII. 14. 15. 16. 17.  
(c) Heb. XI. 8.

mum erigerent, consolationis argumentum; ratumque tandem his omnibus fiebat, quod cum Deo ipsis intercedebat, fedus.

J. Q. E. D.

§. XXIII. Toti huic actui grande & augustum subesse mysterium, & providentiam Divinam in eo velut in typo adumbrare voluisse, quaenam essent futuræ non tantum carnalis sed & cum maxime spiritualis Abrahamici seminis fata, licet *αυτολεξει* non determinaverit scriptura, ex ipsa tamen rei natura tam mihi certum videtur ac manifestum, ut multis illud velle probare laboris fuerit fere supervacanei. Quodsi enim, qui communis Praestantissimorum Interpretum Canon est, omne factum illustrius, quod in scriptis antiqui foederis singulari cum industria dataque opera cum omnibus suis circumstantiis narratur, typicum esse censeri debeat, quis neget, idem quoque de hac nostra federis Abrahamici historia, quam tanta cura sacer scriptor memoriae prodidit, ferendum judicium esse? Et cum Apostolus (a) inter Abrahamicae historiae *απηγρουμενα* illud quoque referat, quod natus ex Aegyptia matre Ismael fratrem Isaacum fuerit persecutus, haec autem persecutio memoratae hoc nostro loco afflictionis, si non pars, clarissimum tamen praeludium sit, nullam caussam video, quae aliam totius, quam hujus partis, dicere jubat rationem. Denique cum omnia sacrificia Dei jussu in diebus promissionis oblata eodem haberi loco typico debeant, quo sacrificia Mosaica, haec autem fuerint *σκια umbrae*, sacrificii melioris, quidni idem quoque de praesenti hoc, quem sacrificii quoque rationem habere supra evicimus, actu Abrahami cogitemus? Ne nunc repetam, quod paullo ante jam anticipavi, non alio fine haec symbola fuisse instituta, nisi ut essent ex Abrahami voto vivae fatorum seminis ejus imagines ac picturae.

§. XXIV. Hoc itaque certo veluti tibicine fultus, quod nempe Deus hoc emblemate praefigurare voluerit seminis Abrahamici fata, triplex his involutum latere mysterium deprehendo. Cum enim promissum Abrahamo semen triplicis generis esse sacra pagina testetur, aliud quidem *carnale*, aliud vero *spirituale*, & hoc rursus aliud *sanctificans*, aliud *sanctificatum*, (b) quid

C 2

com.

(a) Gal. IV. 29. (b) Heb. II. II. Gal. III. 16.

commodius erit, quam ut hic quoque de fatis, non tantum primo Israelitarum in Aegypto usque ad occupationem terrae promissae, sed & secundo seminis Benedicentis, Christi, nec non tertio seminis benedicti, fidelium nempe, cogitemus? Ut ita percussum super hoc ritu Dei cum Abrahamo fedus sensu priore Federis Sinaitici; sensu vero posteriore, ubi victima Christus erit, fidelibus cum Deo intercendentis Federis Novi; ac denique postremo, ubi sacrificia fideles erunt, Federis ejus, unde repetenda tedium superiorum origo, quod ante jacta mundi fundamenta patrem inter & filium fuit, clarissimam figuram nobis exhibeat. Rem totam conficiet signorum cum rebus significatis, prototypi cum antitypo nunc instituenda συγκετος & collatio.

§. XXV. De Semine Abrahami carnali haec symbola esse exponenda, ipsum Dei, qui sapientissimus eorum Auctor & hinc quoque optimus Interpres erat, Oraculum (a) extra omnem dubitationis aleam collocat; cum enim haec oratio monstrata Patriarchæ visa immediate fuerit insecura, non video, cur aliam visis quam verbis significationem velimus adfingere. Verum haec nunc paucis secum invicem conferre, hoc opus, hic labor erit. Quemadmodum igitur, ut jam ex Theodoreto notavit Cl. Heideggerus, quatuor distincta animalium genera, quatuor notabant generationes aut secula, quibus semen Abrahami in terra non sua futurum esset peregrinum; Ita, quod Abrahamus eorum alia, terrestria nempe & sub jugo hominum vivere solita, dividebat partesque sibi invicem opponebat; alia vero, nempe volatilia & libertatis avida, relinquebat integra, significabat fore, ut Israelitæ primum tanta in Aegypto adfligerentur servitute, ut fere ad interitum & lacerationem essent premendi, generatione autem quarta ex dissipazione rursus colligendi tandemque gembundi turoris instar in deserti solitudinem libere evolaturi, ac deni-

(a) Eadem haec prophetia cum, ut supra vidimus, in occupatione terrae promissae omne, quantum ad semen Abrahae carnale, sortitum fuerit implementum, patet, nec ulterius extendi hoc sensu hic visas figuræ debere, atque hinc aliena plane esse, quæ habet in analogis sacris Dongthaens, cum istam animalium divisionem ad consecutam sub Roboamo decem tribuum defensionem eaque factam Regni divisionem refert.

dénique ut columbae ad fenestras suas, ad cultiora Canaanitidis loca, convolaturi. (a) Quod autem porro volucres rapaces jacentia animalium διχοπυρηνατα appetiverunt, illud haud dubie diversorum in Israelitas incursantium hostium signum erat. Et cum propter aduncum maxime rostrum aquila in rapaci volucrum genere prima sit, eadem vero Regni Aegyptii (b) insigne fuerit, commodissime hic de suscepta a Pharaone in dimissum Dei populum persecutione cogitabimus, cum diceret in corde suo: *Persequar, adsequar, dividam praedam, explebitur eis anima mea, exseram gladium meum, adseret eos in haereditatem manus mea.* (c) Ubi vero, quemadmodum heic Abrahamus flatu has aves abegit, sic quoque, columnam nubi & ignis inhabitans, federis angelus, custos Israe- lis, flavit vento suo, populique sui oppressores propulsavit & mari tandem eos (d) operuit.

§. XXVI. Ad easdem Patriarchali prosapiae ab hostibus suis perferendas afflictiones respicere & sequentia videntur, cum, oc- cumbente sole irruisse super Abrahamum spissam cum ingente terrore conjunctam caliginem, dicitur. Eo enim nihil aliud si- gnificabatur, quam futurum aliquando, ut latitans in lumbis Pa- triarchae semen, mortuo Regia majestate conspicuo Josefo, qui ipsis in Aegypto instar solis erat (e), horrore, caligine ac terri-

C 3

fican-

(a) In generalioribus istis malo acquiescere, quam per incertas specula- tiones discurrere & operose cum aliis in rationes inquirere, cur spe- ciatim generatio prima sub *vaccæ*, cur secunda sub *capræ*, cur ter- tia sub *arietis* emblemate proponantur, cum tamen earum quas hu- usque reddidere nullum, cui tuto possimus inniti, habeant fundamen- tum. Ejus vero, quod de divisarum partium collectione, turture & columba dixi, fundamentum satis certum suppeditant loca Ezech. XXXVII. 11. 7. 14. Ef. LX. 8. Hof. XI. 11, ubi similibus plane casibus depingendis iisdem quoque figuris Spiritus Sanctus utitur.

(b) Gürtler. Orig. mundi.

(c) Conferti etiam cum his meretur locus Lnc. XVII. 37. ubi pariter per *cadaver* populus Judaicus, per *aquilas* vero ejus Destructores Romani sunt intelligendi. Vide item Habac. I. 8.

(d) Exod. XV. 9. 10. XIV. 19. 20.

(e) Ita & per Amosum posteriore tempore eisdem Israëlitis Deus minatur, fore, ut sol ipsorum meridie occidat, & nihil eo aliud innuit, quam fore, ut Rex illorum subito caderet, & Rempublicam suo interitus perturbatam relinqueret, Amos. VIII. 9.

ficante somno esset obruendum, & nonnisi per multas calamitas in hereditariam terræ promissæ possessionem introducendum. Et quia somnus etiam simillima gelidae mortis imago est, quidni & hic prædictam commate decimo quinto ipsius Abrahami mortem hoc emblemate præfiguratam credamus? Illud autem, quod persecutionem sancto spectatori gravissimam reprezentabat, fumo terribilis *clibanus* erat; is enim p. d. durissimæ servitutis Aegyptiacæ, quae (propter gravissimum, ut videtur, in coquendis lateribus labore) per *fornacem ferream* alibi (a) exprimitur, figuram gerebat. Jam vero cum *fumus* etiam *precum sanctorum* usitatum sit in scripturis (b) emblema, quid obstat, quo minus de geminitibus ac suspiriis cogitemus, quae ex fornace afflictionum Aegyptiaca cœlum versus erant ascensura atque ad Dei thronum efferenda (c)? Sic, quod Abrahamus dormitans dicitur vidisse fumantem clibanum, mystice indigitabit, fore, ut semen Abrahae carnale, antequam in terram Canaan introduceatur, videat afflictiones multas, atque in earum medio desperans quasi de salute ac redemtione humanis viribus consequenda, atque interim calidissimis votis ad exitum ac libertatem anhelans preces ad Deum ardentissimas efferat, & ex altis auxilium praestoletur. (d) Atque hinc tandem, quod Abrahamus igneam per dissesta animalia transeuntem lampada viderit, clarissimum, quibus adumbrandis alibi (e) quoque *ignis* emblema adhibetur, *cum divinae*

(a) Deut. IV. 20. Jer. XI. 4. (b) Apoc. II X. 4.

(c) Hanc observationem ut & nonnullas, in sequentibus, alias hausi ex Venerandi Praeceptoris mei A. Pungeleri Theologiæ in Athenaeo patrio Professoris Celeberrimi, in typos Geneseos dictatis, quorum in eruditissimis de *Babele* dissertationibus superrime specimen in publicum emisit.

(d) Et hic tum pulcre conferri potest, quam confert ad h. l. Ludovicus de Dieu, usitata todienum Judaeis precandi formula: **אנָה מֶלֶךְ רָחוֹם** וּחֲנֹן זָכָר וּהְבַט **לִבְרוֹת בֵּין הַבָּתִים** Observeo Rex misericors & gratiose, recordare & respice fedus inter segmenta initum. Conf. Exod. III. 7. 9. Act. VII. 34.

(e) Exod. XIX. 18. Ex. LXII. 1. Ps. XXVII. 1. 2. Mich. VII. 8. & præsertim vel ideo hic conferri ineretur columnæ nubis & ignis, quia ea Israëlitis in libertatem redeuntibus dux fuit.

vinae praesentiae, *tum* resultantis inde futuræ liberationis indicium! praebuit; Deum nempe populum suum in miserrimo illo servitutis statu succumbentem non penitus derelicturum, sed fore aliquando, ut in medio fornacis ferreae versantibus suo favore illis adfulgeat eosque gratiosi vultus sui lumine reficiat, ac tandem forti brachio in libertatem denuo adserat. Immo cum *flamma* divinae irae (a) quoque symbolum sit, hoc viso simul tremendum illud, quod cum liberatione Israelitarum, vs. 14. dicitur conjungendum, Dei in eorum hostes exercendum judicium designabitur. Quod vero ad observatum hic *transeundi* per segmenta ritum adtinet, is percussi Deum inter ac Abrahamum federis ratificationem solummodo respicit; Et huic, cum idem utriusque ratificandi modus, idem utriusque bonum promissum, & idem utrobius Divinae *παρουσίας εμβληματα* fuerit, fedus, quod ad montem Sinai cum Abrahame semine Deus erexit, *αντινυπορ* existamus.

§. XXVII. Sed & alia mysteria historiae hujus cortici involuta, & seminis *spiritualis* quoque hic habendam rationem esse supra dicebamus. Ne igitur & hac parte de hypotheseos nostræ methodo quis dubitet, danda nunc paucis opera erit. Ac de sanctificante quidem, ut inde ordiar, *συγκεστις* iterum *πνευματικων πνευματικοις* extra omnem dicta ponet controversiam. Illud enim, ut jam ante monui, nemo, nisi qui legi promissionem cessisse dicere velit, negabit, eodem mactata hic animalia haberis loco debere, quo postea in cultu Levitico habentur; Jam vero cum illic indubitato *sacrificium Christi* præfiguraverint, cur non de eodem & hic commode cogitaremus? Hic (Christus) *vitulae* laboriositatem ac mansuetudinem; hic *capellae*, præter varium usum, munditiem legalem & præclaram sine ulla pedum offensione per faxa, montium vertices, & difficilia quaecumque, aspera praeruptaque; (b) loca incedendi alacritatem; hic *arietis* conjunctam cum patientia fortitudinem; hic *columbarum* integritatem ac simplicitatem

(a) Es. X. 16. 17. XXVI. II. LXVI. 13 - 16. Ps. L. 3. XCVII. 3.  
Heb. XII. fin.

(b) In eodem hieroglyphico cum *capreolis* comparatur Cant. II. 17. VIII.  
14. Ps. XVIII. 34.

tatem; hic denique *turturum* innocentiam conjugiique Zelum in se continet. Quemadmodum igitur horum animalium alia dividabantur, eorumque partes divisæ veluti se concernentes sibi invicem opponebantur, alia vero relinquuntur integra: sic quoque Christus homo primum in morte crucis divisus, e terra viventium abscissus, (a) *excisus*, (נִכְרָת) (b) & gladio divinae vindictæ percussus, (c) postea vero in glorijsa resurrectione rursus collectus, liberaeque & a laqueo aucupantis (d) erectæ atque integræ avis instar ad habitaculum cœleste evolavit. (e) Quemadmodum animalia hæc debebant esse *triennia*, i.e. ut Chrysostomus loquitur, πλειας της απηγνωσμένα, perfecta & completa; ita Christus non debebat offerri Deo, nisi plenum corporis robur, justam aetatis (annorum nempe *triginta trium* & quod excurrit) mensuram ac perfectam magnitudinem adeptus. (f) Quemadmodum denique his animantibus aves inhiavere rapaces: quas autem Abrahamus vigilanti animo abegit; sic quoque non defuere, Diabolus omnesque furiae, qui sedulas Christo, ut praedae instar eum arriperent, insidias struxerunt: quorum vero consilia evanuerent. (g)

§. XXIX. Jam porro, sicut Abrahamum *inclinante sole altus sopor magna que cum ingente terrore conjunctæ tenebrae occupaverunt*; ita quoque mors Christi, quæ ejus somnus saepissime (h) dicitur, non tantum terræ habitabili crassas induxit tenebras, sed & ipse, eum jam adpropinquaret haec hora potestatis tenebrarum, quæ tanquam sol justitiae deberet occumbere, coepit *exfusus est & gravissime angit*; posuit eum pater in tenebroſissimis, circumdederunt eum terrores mortis, torrentesque Belial perterrefecerunt ipsum. (i) Quod vero ad visum in hoc sopore *fumantem clibanum igneamque flammam attinet*, commodissimum & superioribus maxime analogum erit, ut de effusa in Christum propter peccata nostra in gravissimis passionibus (illis paecipue, quas perdescen-

(a) Es. LIII. 8. (b) Dan. IX. 26. (c) Zach. XIII. 7. (d) Ps. XCI. 3.

(e) Confer, quod contigit in expiatione leprosi Lev. XIV. 10 - 10.

(f) Exod. XXIII. 19. (g) Es. LIII. 9. Ps. CXIIX. 12. (h) Ps. III. 6.

IV. 9. Jer. XXXI. 26. (i) Ps. XIIIX. 5. LXXXVIII. 7. 17. 18. Marc.

XIV. 32. 33. Luc. XXII. 43. 44. 53.

descensum ad inferos Theologi intelligunt) Dei ira, &, quae eam postmodum consecuta est, gratioſa liberatione cogitemus. (a) Et certe quemadmodum visa , sic non minus Dei verba ad Christum pulcre poterunt applicari : Hic ipse non tantum per totam vitam fuit peregrinus in terra non sua, in qua non habebat, quo reclinaret caput, sed eandem quoque , quam Israelitae , profugus petere Aegyptum debebat. (b) Hic in forma servili apparuit , & ut serviret , venit in hunc mundum. (c) Hic multas easque cum illis Israelitarum maxime convenientes ad mortem usque subire debuit passiones. (d) Ast vero quemadmodum illorum hostes Deus tandem judicavit ; sic idem factum hostibus Christi Judaeis & Gentibus. (e) Quemadmodum isti multa cum facultate sunt egressi, sic & Christus adscendit in altum & dona accepit pro hominibus. (f) Quemadmodum illi reversi sunt in eandem illam terram , e qua olim exiverant; sic quoque Christus easdem gloriae coelestis repetiit sedes , quas ante deseruerat: ivit siquidem, non secus ac Abrahamus , in pace ad patrem suum , & in justa aetate splendidam sepulturam est adeptus. (g) Ac tandem, quemadmodum super mactata hic victima & effuso ejus sanguine ratum factum , quod intercesserat Abrahamo cum Deo fedus ; sic & confirmatum sanguine Christi, quod fidelibus cum Deo intercedit, novum fedus gratiae; qui hinc sanguis federis ac testamenti, & ratificatum eo fedus , phrasi sacramentali aequipollente , *testamentum in sanguine appellatur.* (h)

## D

## J. XXVIII.

(a) Haec , quam habet in suo *Mose & Christo Venerandus Avunculus & Praeceptor meus J. Biermannus*, explicatio mihi saltem probabilior videtur, quam illa Cel. Cocceji & Cl. Burmanni , qui de humana Christi natura & habitante in illa *Deitatis* plenitudine symbolum hoc exponendum putant. Quamvis enim fumi saepius & ignis hac significacione in sacris mentio fiat, vix tamen ullum, ubi cum fornace humana Christi natura comparetur, locum quis reperiet.

(b) Matth. VIII. 29. II. 13.14. Hos. XI. 1. Jer. XXXI. 16.

(c) Phil. II. 17 Matth. XX. 28. Joh. XIII. 5. (d) Exod. I. 16. Matth. II. 16. (e) Ps. LXIX. 24. sq. CIX. (f) Ps. LXIX. 19. Es. LIII. 12, (g) Habac. III. 2. Es. LIII. 10. (h) Luc. XXII. 20. Zach. IX. 11. Heb. IX. 16. sq. X. 29. Gal. III. 15. I. Cor. XI. 25.

§. XXIX. Reliquum est, ut etiam fatorum *seminis sanctificati* & speciatim fidelium N. T. vivam in hac tabula effigiem reperiri verbulo commonstremus. Sicut enim *sacrificia V.T.* non tantum Christi oblationem, sed & ipsa fidelium sacrificia praefigurarunt, qui corpora sua Deo fistunt hostias vivas per cultum rationalem, imo qui vitam suam pro nomine Christi instar libaminis fundunt; (a) Eodem modo & *victima* hac Abrahami non solum Christi hilasticam, sed & fidelium Eucharisticam vietim adumbratam credimus. Id quod tanto iterum adfirmamus liberius, quanto sub eorundem animalium emblemate credentium chorus in sacris proponitur sepius. (b) Quemadmodum ergo animalia ab Abrahamo *divisa* facile attendenti in memoriam revocant cruentas illas constantissimorum tanto numero, qui pretiosam Evangelii veritatem suo sanguine obsignaveret, Martyrum Ianiens; (c) ita, quae *integrae* permandere *volucres* nos commonefaciunt de λειμαν κατ' εκλογη χαετως (d) parte fidelium residua, qui durante hac persecutionum pro exiguo momento latitarunt in foraminibus petrae, in latibulo praerupto, donec tandem praetereunte indignatione liberi iterum emerserunt. (e) Quemadmodum cadaveribus inhiantes *volucres coeli* notare possunt tentatos ab Ecclesiae hostibus in hanc veluti praedam crebros insultus; ita, quod *Abrahamus* has aves tanta cura abegit, commodum Christi Jesu custodis Israelis, Ecclesiae numquam non invigilantis ejusque hostes sedulo abigentis, (in exemplum omnium Ecclesiae ministrorum, tanquam vigilum) (f) symbolum erit. Quemadmodum Abrahamus inclinante sole alto sopore ac terribili caligine legitur oppressus; ita non potuit non Ecclesia horroris caligine obrui, quotiescumque se abscondit (g) Jesu Spiritus, atque radios suos, quibus Ecclesiam illuminare alias solebat, subtraxit. Fecit autem id toties Sol justitiae, quoties Abrahamus mysticus sopore obrutus fuit, h.e. vel in genere

- (a) Rom. XII. 1. II. Tim. IV. 6. (b) Hos. X. 11. Cant. VI. 4. 5. Joh. X. 26. 27. Ps. LXXIV. 19. Cant. II. 12. 14. (c) Col. I. 24. Heb. XI. 34. sq.
- (d) Rom. XI. 5. (e) Ef. XXVI. 20. Ps. XCI. 3. (f) Jes. LXII. 6. 7. Ez. III. 17. XXXIII. 7. Cant. I. 6. (g) Amos. II. 9. Matth. XXIV. 29. Apoc. VI. 12.

genere Ecclesia dormitavit, (a) nimiaeque securitati indulxit, vel speciatim ejus ministri, quibus agendae pro salute Sionis erant excubiae, suum officium (b) neglexerunt. Quemadmodum Abrahamus in hoc sopore vidit clibanum fumantem; sic quoque spirituale Abrahae semen somno securitatis obrutum vidi fornacem afflictionis, in qua innumera Ecclesiae membra crepitantibus flammis tradita, ac dirum in modum velut in clibano fure combusta, sic ut non tantum sanctorum suspiria, sed ipsa etiam eorum corpora fumi instar in auras, ad altiora coeli, abirent. (c) Quemadmodum denique Abrahamus cum isto clibano conjunctam videbat igneam flamمام, laetum futurae liberationis indicium; sic & Ecclesiam Deus in mediis, quas, dum in Regno pseudo-Christianorum, ceu spirituali Aegypto, peregrinatur, perferre debebat, afflictionibus, gratiosi vultus sui lumine refecit, eamque justo tempore robusto brachio in libertatem tandem eduxit, & in terram promissam, civitatem scilicet habitaculi (d) constitute coepit. Quae etiam Israelis mystici liberatio non secus ac illa Israelis carnalis cum tremendis in hostes suos judiciis est conjuncta. (e) Et quod denique ad ratificatum hisce solennibus fedus attinet, cum in eo Abrahamus ut fidelium caput praecipue sit considerandus, hoc autem in plena emphasi de Christo demum praedicari possit, commode de eo quoque federe cogitabimus, quod ante jacta mundi fundamenta cum Patre suo Christus erexit, ubi ipsi non secus ac Abrahomo non tantum de multiplicando sibi semine, sed & hereditate gentium conferenda facta promissio est. Siquidem & hoc quoque non secus ac illud Abrahamicum, jurejurando Dei ab una, & fusione sui sanguinis ab altera parte fuit confirmatum. (f)

I. XXX. Ex dictis patet, quam sit bonum ad Jehovam adpropinquare, (g) & fructuosum, arctam cum Deo colere necessitudinem. Tantum profuit Abrahamo, Deum habere familiarem (cujus expertus est indicibilem gratiam & inimitabilem

D. 2.

συγκε-

(a) Cant. V. 1. Matth. XXV. 5. (b) Eccl. LVI. 10. Matth. XIII. 25.

(c) Ps. LXVI. 12. Cant. III. 6. (d) Psal. CVII. 36. 41. (e) Conf. Apoc. XI. c. XVI. (f) Ps. LXXXIX. 4. s. CX. 4. Zach. VI. 13. Eccl. LIII. 11. (g) Ps. LXXIII. 28.

(οὐγκαταβασίν) cum hoc omnisufficiente jura federis posse communicare, quin & ubi opus est, allegare, imo ex isto capite eum convenire? Hoc, hoc dat lucem inaccessam in tenebris spississimis, ne cognitionis vacillantis saepe, fidei titubantis scintilla pereat, linumque fumigans extinguitur penitus, id quod Patris lumen favor inconcussus & propositi ejus gratosi constantia, juxta juramentum apud sanctitatem suam firmatum, adeo non permittit, ut citius alta nox in ipsius meridiei splendores mutaretur. (a) Hic est in ipso tribulationum ardentissimo clibano forti manu & dulci latibulo suis praesentissimus, ne flamma eos adurat; quin potius ipsi sumi palmarum, velut ex pulvere seplasii ad admirationem usque recta adsurgentium, instar Deo accepti hominibusque probati deprehendantur. (b) Quis cum Deo tam benefico fedus non secaret, super Filii ejus sacrificio? (c) Quis paratus non esset se cum omni facultate sua intus & extus illi sistere victimam? Quis denique non lubens corpus & membra terrestria mortificaret, concupiscentias carnis jugularet veteremque hominem in cruce ageret, ut vivus inde exsurgat novus? Suamque adeo quisque salutem cum timore atque tremore elaboraret? *Adhuc itaque vos, fratres, per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationalem illum cultum vestrum.* (d) Per ipsum, federis mediatorem nostrum, adsidue offeramus Deo sacrificium laudis, id est, fructum labiorum celebrantium nomen ejus. *Deus vero pacis, qui ex mortuis reduxit, per sanguinem aeterni Testamenti, magnum illum ovum pastorem Dominum nostrum Jesum, aptos nos faciat ad omne opus bonum ad praestandam ipsius voluntatem, efficiens in nobis, quod gratum sit in conspectu suo, per Jesum Christum, cui sit gloria in secula sempiterna. Amen.* (d)

(a) Ps. CXXXIX. 12. (b) Dan. III. 24. sq. Es. XLIII. 2. Cant. III. 6. Rom. XIV. 18. (c) Ps. L. 5. (d) Rom. XII. 1. (e) Heb. XIII. 15. 20. 21.

---

**F**oedera quæ quondam primo turbavit in HORTO  
Adam, serpentis seducis artis ope,  
Illa per Abramidis socias simulacra Parentis,  
HOFFMANNE ac ejus symbola sancta doces,  
Sic tuus Ingenii hic HORTUS fert semina Viva,  
Quæ non corrumpet livida Mens Satanae.

Perge

Perge ita, tunc coeli molem ceu cœlifer Atlas,  
Firmabis Pindum, praemia Apollo feret.

*Ita Nobilissimo & Doctissimo Domino Autori  
super hoc Ingenii sui fructu Votivus accinit*

N. M. D.

**S**ic Tibi flos ævi, sic dulcis carpitur ætas,  
Neque piget, tacito dum fugit illa pede.  
Sic Patris & nostras spes æquis gressibus imples:  
Dum bis dissertas volvitur æxe polus;  
Et quid reprimerem? sacra pulpita non minus ornas  
Dum Christi cœtus instruis ore pio.  
Hoc decet ingenuos! Olim meminisse juvabit,

**FOEDERA PIGNORIBUS SANCTA MANERE BONOS.**

*Agnato optimo f.*

**PRÆSES.**

**E**ιθε μοι αρχεσίμολπος ἐοι Μέσ' Ἰλαος ἀρπ,  
Παιησω τὸν ἔπος μελπέμεν αἰριόδιον.  
Τότο μὲν ἡ Φιλίη ἡμειῶν σύμμαχος αἴτει,  
Ἐμπεδον ἡμετέρας ἀμφιδέκου Φρένας.  
Ἀπὸ καὶ ἀκελβής σεο, ἢν δεῖξας διάπαντος,  
Ἄξιόει σωδὴ, σύζυγος αὐγχιοίη.  
Ἐξαῦτης γὰρ νῦν, νεάρων ὡς Φάτος αἷσιον,  
Ἐπλόγιμον βαίνεις σεμνωδεωῶς ἐφ ἐδός,  
Καὶ τὴν Κύρωσίν γε δοθεῖσαν τῷ Πατεράρχῃ  
Συνθήκης Θείας Φρέγιζες ὅπισταμένως.  
Ἐνθ' ἀρχε δηλώσας ὅποιν μελέτην κατάγμα  
Ἐν τῷ αἰνακερένειν σῶσ Θεᾶλόγια.  
Ως γ' εἰς τὸ σύμβλον σκιέντα μέλιον αἴθροιζει  
Ηδέα τῶν αἰνθῶν χυλὸν οἱ ὥφελιμον.  
Τῶς καὶ σὺ σπουδῇ ἐυχρήτων πολλὰ σπαρέντα  
Παντεδαποῖς Φρονίμως ἐκ βιβλίοισι λέγεις.  
Ηδὲ τὰ πάντ' ιθύνεις πρόσθεσον εἰς παναρεῖσιν  
Εἰς τὸ καλῶς συνιεῖν γράμματα ιορδί Θεᾶ.  
Ταῦτα δ' ὅπος Βιεφετος Φροντίζεις, ὡς ὅπιπάγχυ,  
Θῆτα Φιλοκτεάνῳ ἤποιει ἐνδομυχεῖν.

T. 7

Τὴν γῆν σὺ μελέτην, ὡς ἐικός, κῦδΩρ ὁπιδεῖ.

Ἐρδεις γάρ πολῶν αὔξια μῆνΩρ ἔων.

Χαῖρε ἀπὸ τοῦ Ἐκαπονταέτης Νέωρ, ὡς αἴγαπητός

Τψίσω πε Θεῷ, αἰνδρεῖστο τ' ἐνδοκίμοις.

Ταῦτα τῷ φίλῳ ἀντεῖ πολυπόμφη εἰλικρινεῖς

φιλίας ἔντεια ἔγραψε

## FRID. CASIMIRVS HEILMANNVS.

S. T. C.

Pūlpita consendens cathedræ doctissimus Auctor,  
Symbola quid valeant, quibus utriusque fuit  
Abramicum fœdus sanctum, differit, atque  
Ingenii dotes subtilitate probat.

Urgeat eximios clementia diva labores:

Talia quæ præsens; dent bona plura dies.

Hæc Tibi sit felix, quondam sit læta corona,

Pro qua magnanimum dimicat ingenium,

Quam nunc ex animo quantus sum à Numine totò

Comprecor & quæ sunt suavia, tuve Vale.

J. F. Mollerus, Nassov. Ebersb.

Esse Tibi meliore luto præcordia sita,  
Atque Heliconiadas magni Te pendere musas,  
Nunc vice testatur conatus hicce secundâ.  
Fac animo forti pergas insistere cœptis,  
Nec Te detineat cursu labor improbus, opto,  
Dum Tibi rite detur Parnassi tangere culmen:  
Tunc Tibi retribuent sua dulcia præmia musæ.

J. G. Osvaldus, Hebv. Scaph.

UT semper flagrat speratae laudis amore  
Sanguinis egregii Nobile nomen habens:  
Ingentesque animos patriis virtutibus æquat  
Aulis & factis, fortibus ille suis.

Non opus est verbis rerum documenta loquantur.


Exemplo HOFFMANNUS comprobat isto suo.  
Angelus ut quondam sanctum nutritivit Eliam

Disseruit, jam mox altius ire cupit.

Fœderis Abramici quoque nunc mysteria pandit,  
Ingenii ostendens, splendida dona sui.

Pieridum Cultor! superas sic itur ad auras;  
Sic cito currentem certa brahea manent.

P. L. Franckenfeld, Herb. Nassov.



Coll. diss. A 185, misc: 11